

De complicata cum abdominis hydro graviditate ejusque signis occasione singularis casus ... / [Anton Reimann].

Contributors

Reimann, Anton.
Böhmer, Philipp Adolph, 1717-1789.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halae : Litteris Curtianis, [1770]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/txtgdxgj>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DE
COMPLICATA
VM ABDOMINIS HYDRO
GRAVIDITATE
EIVSQUE SIGNIS
OCCASIONE SINGVLARIS CASVS

PRAESIDE
PHILIPPO ADOLPHO BOEHME
FACULTATIS MEDICAE SENIORE ET R. T. DECANO ETC.


PRO
GRADV DOCTORIS
LEGITIME IMPETRANDO

D. XXVII. SEPTEMBER. MDCCLXX.

PUBLICE DISPUTABIT

AUCTOR
ANTONIVS REIMANN
NISSA SILESIVS.

HALAE
LITTERIS CYRTIANIS.



VIRO

EXCELLENTISSIMO EXPERIENTISSIMO
DOCTISSIMO

DOMINO

IGNATIO DIETRICH

MEDICINAE DOCTORI

PRACTICO FELICISSIMO, FAMIGERATISSIMO

ADFINI ET FAVTORI SV

AETERNVM COLENDO

H O C

E C I M E N A C A D E M I C V M

V T

P I E T A T I S S I G N V M

D. D. D.

A N T O N I V S R E I M A N N.



DE
COMPLICATA
CVM ABDOMINIS HYDROPE
GRAVIDITATE
EIVSQUE SIGNIS
OCCASIONE SINGVLARIS CASVS.



§. I.

Arcti semiologiae limites.

Non potest cuiquam, qui semiologiae, imprimis pathologicae, cum aetatem tum vtilitatem nouit, vitio verti, si stupefcens lacunas istas miretur, quibus diuina, quam dixi, doctrina adhuc laborat, quaeque medicis explendae supersunt. Quando enim aetas eius ad antiquissima debet tempora ipsaque medicinae incunabula referri; quando vtilitas eius adeo late patet, vt, ea destituta mendendi ars, generi humano vel obsit, vel, fauente demum profit

fortuna secunda, adoranda imperitorum hominum dea; quando
 demum, tam aetate, quam vtilitate longe inferiores, medicinae
 partes maiora tamen ceperunt celerioraque incrementa: nonne
 socordia medicorum merito accusanda videtur? Quod quidem
 eo minus a veritatis specie abesse censeretur, quo magis con-
 stat, HIPPOCRATEM doctrinam, de signis morborum, quam
 optime calluisse, plurimaque eorum, quae nostrae semiologiae in-
 sunt, nouisse, vt etiam pulsum notitiam, quod quondam stre-
 nue negatum legitur, non solum habuerit, sed eam quoque, do-
 cente id illustri *de* HAEN, ad statum sanum aegrumque, plus
 vice simplici, applicauerit; quoque magis exploratum est, aeta-
 tes, *Hippocratica* tempora proxime sequentes, magis magisque
 semiologiam excoluisse; quibus quidem recentiores pauca quaedam
 adiecerunt, vt tamen haec, si a paucissimis recesseris, falsa, in-
 certa, obscura, passimque etiam a medico vsu aliena esse depre-
 hendantur, quod nouae de pulsibus doctrinae exemplo maxime
 patet, quam ad lapidem lydium reuocare dignatus est illustris
 vir et in praxi exercitatissimus *de* HAEN. Neque certe ego is
 sum, qui medicos, omni ex parte, excusandos putem, nimis de
 eo conuictus, quod plures, in tractandis inueniendisque morbo-
 rum signis occupati, ludentis imaginationis laruas sequantur,
 subtilitates, araneorum telis tenuiores, nectant, paucis saepe ob-
 seruatis vtantur, idque, quod casu accidit, ad essentiam morbi
 referant. Quando vero haec aut similia vitia reliquas medicinae
 partes non minus contaminarunt, quarum inde quidem incre-
 mentum impeditum, vt tamen, ferius licet natae, longe semio-
 logia latius pomoeria sua extenderint: sequitur, posse, non ab-
 normi ratione, suspicari, materiam forte, quam tractat semiologia,
 eius esse indolis, vt, non nisi arctis limitibus circumscripta, a
 medico suppeditari queat. Atqui neminem fugit, duo maxime
 inesse morbis, variisque aliis corporis conditionibus, quae, quo
 minus accurate semper definiri queant, impediunt, sym tona-
 tum

tum aliorumque effectuum *similitudo* et morborum statuumque variorum *complicatio*. Et similitudo quidem symptomatum et effectuum efficit, vt morbi aliqui status maxime differentes videantur iidem; complicatio autem, quam dixi, commixtis inter se signis, conditionum, corpori inexistentium, cognitionem difficillimam reddit. Quod, quantopere dolendum, vel exinde poterit cognosci, quod saepe non famae medici, sed generis etiam humanum multum intersit, signa ista nouisse. Cautum itaque tam in iudicando, quam in medendo medicum esse oportet, tunc praepriis, quando aegris, penes quos est non raro morbum statumque corporis aut simulare aut dissimulare, fides est habenda.

§. II.

Signa imprimis grauiditatis fallacia sunt.

Nubes medicorum est, quos, incautos in eo, oportuit inscitiae, malignitatis hominum, aut similis vitii poenas luere. Inter plura specimina, quae ideo afferri possent, eminet maxime grauiditas, cuius a statu hydropico, scirrhuso, steatomatoso etc. differentia adeo censetur abstrusa, vt signa eius diagnostica, si a exploratione ostii vteri interni recesseris, omnia iudicentur, generatim spectata, fallacia. Neque etiam, haec ipsa exploratio, videretur quibusdam signum esse grauiditatis omni exceptione maius. Enim vero, vt id omittam, quod omnes largiuntur, esse eam explorationem, ante tertium grauiditatis mensem institutam, insufficientem: sunt quoque, qui eidem, vt generale grauiditatis signum consideratae, incertitudinis maculam adspargunt. Quando commentariorum lipsiensium auctores clar. PVZOS librum annunciant (a), haec etiam inserunt: *concedit auctor vel exploratione non semper sufficere exacto de statu vteri iudicio ferendo, imprimis vero nihil eius ope ante tertium grauiditatis mensem cognoscere.* Commemorantes etiam alio loco (b) celebr. WEITBRECHT

propter muliebri observationes anatomicas, descripto vteri grauidi statu, a celeberrimo viro exposito, addunt: porro noua inde oritur difficultas, vt grauiditas solo dignoscatur tactu. Quibus ita comparatis, nemo non intelligit, posse non solum dubios incertosque grauiditatis casus incidere, sed esse etiam grauiditatem eius naturae statum, cuius praesentia, si generatim spectetur, ad probabilitatem quidem perducere, raro vero aut numquam ad summum certitudinis fastigium euehi potest. Quid mirum ergo, quod tot medici decepti aliis sese deridendos propinauerint?

(a) *Suppl. Decad. I.* pag. 489.

(b) *Vol. I.* pag. 231.

§. III.

Maxime vero complicatae cum hydrope grauiditatis.

Quando grauiditas sibi soli relicta plus minus difficulter cognoscitur: eius cum hydrope complicatio longe difficiliter definiri necesse erit. Qua de re vero cum prolixius differere constituerim: casum, qui quam optime id docebit, quemque fauori debeo illustris BOEHMERI, viri optime de me meriti, cuiusque institutionibus anatomicis, chirurgicis, artis obstetricariae aliisque interuisse, grata semper memoria repetam, commemorabo. Femina viginti sex annos nata, felix trium liberorum mater, temperamentum nata cholericum - sanguineum, quartana corripitur, qua caute suppressa, in tumores primo pedum oedematosos, deinceps, magis magisque adscendente hydrope, in turgorem abdominis aquosum incidit, splendentem et duriusculum. De hydrope peritior facta illustrem BOEHMERVM adiit, EIVS auxilium implorans. Cum adfuerint menses, hydropis causae manifestae et nulla grauiditatis indicia: de reuocanda male curata quartana sollicitus illustris, congrua praescripsit remedia. Increuit autem hydrops, nec potuit febris quartana reuocari. Accessit etiam reliquis
nunc

nunc malis mensium defectus, quo ipso turgor abdominis maiora visus est incrementa capere. Fuere caeterum partes superiores modice extenuatae, mammae flaccidae, nullo lactifero liquido repletae, papillae nec crassiores, nec inflatae, nec colore obscuriore praeditae, discus ambiens non mutatus; praeterea vero nausea, sine tamen vomitu subsequente, auersatio qualiscunque potus fabarum Coffée, appetitus caeteroquin sat vegetus obseruata sunt. Quibus intellectis grauiditatem coepit complicatam vir illustris suspicari. De hac vero quaesita, maritata licet, femina iracunda eam negauit, de misero simul corporis statu conquesta, qui, amoris certe ludos sequi, ipsi non permetteret. Quibus autem non obstantibus constituit vir cautus, validiora quaeuis remedia et hydragoga vitare, inque vsu leniorum resoluentium ac blandiorum diureticorum acquiescere. Quibus vero profectum nihil; turgor potius abdominis in dies increuit; tumor accessit aquosus ad genitales partes insignis, qui cum varia intulerit incommoda, dolores nempe vrinaeque suppressionem, scarificatione opus fuit, cuius auxilio subinde plures aquae mensurae sunt euacuatae, non effluentes quidem, sed exstillantes; comparuit demum febris lentescens. Tempus nunc fuit explorationem vteri suadendi; at recusauit eam, ira simul incensa, femina. Nullum interea foetus motum obseruare licuit. Grauiditate demum, calculo, inde a mensium retentione, computato, ad finem vergente, stimulus ad meiendum sollicitauit aegram; quo ipso etiam, cum noctu quondam ad matulam vocata fit, accidit, vt, misera supina, ob sublatum aequilibrium corporis, ad terram prostrata, vterus irritatus summis eam doloribus torquere coeperit. Quibus auditis aduolauit *illustris* BOEHMERVS. Persuasus iam, dolores ad partum adesse, vteri explorationem obstetrici commisit. Detexit haec facile grauiditatem partumque instantem, aegra nunc omnia fatente, sic autem se exculpante, vt dixerit, non credidisse se, istum, cuius meminisset, mariti amplexum tanti esse, vt grauida hinc fieri posset. Elapsis octodecim

circiter horis, foetus demum mortuus est exclusus, omnino perfectissimus, sola excepta magnitudine, quae istam aequabat, qua foetus quinque circiter mensium gaudet; funiculus umbilicalis tenuem sanguineum funem, multis nodositatibus distinctum, repraesentauit, et placenta, ad dimidiam partem, ea fuit minor, quae suetam magnitudinem nacta est. Puerpera autem silentii et pudoris infani poenas luit. Cum enim fluxus lochiorum nulla arte prouocari potuerit: mutata lentefcente febre in acutam, die puerperii nono, occubuit.

§. IV.

Materia tractanda.

Duo maxime, commemoratione digna, momenta enarrato casui insunt; exclusio nempe foetus, minutam, vt ita dicam, perfecti hominis imaginem referentis, et abstrusa grauiditatis, cum abdominis hydrope, complicatio. Quod hanc imprimis spectat: de hydropis equidem praesentia dubitari non potuit, cum eius signa adfuerint et causae manifestae; at grauiditas eo magis recondita latuit. Licet enim nonnulla eius signa detecta fuerint, mensium defectus, nausea, auersatio potus fabarum Coffee atque ipse, hydropicis alias, si diuturnus atque a tali causa productus sit morbus, minus sollemnis, appetitus vegetus: attamen si consideretur, ipsa haec signa esse insufficientia; posse casus hydropicarum affectionum incidere, ad quos haec aut casu, aut vi morbi accedunt; multa grauiditati contraria phaenomena adfuisse, mammarum flaccidarum exemplo; feminam denique, licet maritata fuerit, strenue negasse omnia, quae ad confirmandam grauiditatem facere quidquam potuissent, aliam simul, vt contrarium suaderet, nec inuolidam, nec ab omni veritatis specie alienam, rationem afferens: sequitur, potuisse in hoc casu non nisi dubiam grauiditatis suspicionem incidere. Cui similes casus cum in scriptis medicorum non infre-

infrequenter occurrant: utilis quaestio proponi potest: annon certa quaedam complicatae, cum hydrope abdominis, grauiditatis signa dentur et erui queant? Discutere eam tentabo, si de hac ipsa complicatione nonnulla praemisero.

§. V.

Hydrops quid? Eius species, imprimis abdominalis.

Insignis feri similisue fluidi collectio, ea ratione in corpore humano facta, vt sanitati non respondeat, *hydrops* vocari solet (c). Is quam optime generatim in hydropem *acysticum*, seu hydropem stricte ita dictum, et *saccatum* diuidi potest. Acycticus habitat vel in tela cellulari, vel cavitatibus sic, vt membranis non cingatur (d). *Hydrops* autem *abdominis* nuncupatur is, qui partes, vel contentas in abdomine, vel huic adnexas, occupat; in quem ergo non solum ea, quam dixi, hydropis diuisio cadit, sed cuius etiam, pro partium, quas obsidet, differentia, plures iterum possunt species constitui. Occurrit nempe hic hydrops vteri, vaginae, ovariorum, tubarum FALLOPII, vulvae, hydrocele, hydrops ventriculi, hepatis, intestinorum, renum, vesicae vrinariae, integumentorum cutaneorum abdominis, peritonaei, mesenterii, omenti, pancreatis, cystidis felleae, lienis, cavitatis abdominalis et quodammodo etiam diaphragmatis (e). Quandoque plures istarum species vni inexistunt corpori aegro.

(c) Sunt, qui *tumoris* vocem hydropis definitioni inferendam esse iudicant. Male quidem, cum nemo non videat, posse iam in pericardio, cauo thoracis, abdominis etc. hydropem adesse, licet tumor nondum compareat. Collectionem *insignem* dixi, ne hydrops, quibusdam in casibus, cum cachexia confundatur. Quilibet praeterea concedet, fluidum, quod proprie hydropi inest, *serum* esse, quo ipso tamen negatur minime, posse sero collecto sanguinem simul, materiamque amurcosam aut ichorosam admixta esse, quod non infrequenter sane contingit. Vid. SWIETEN *Comment.*

in Aphorism. BOERHAAVII Tom. IV. p. 139. seq. Cum vero et lacteus observatus sit hydrops, cuius etiam specimen BASSIVS exhibuit: dixi ideo, feri *similisue fluidi*. Quando autem *solus* sanguis, aut aër, aut pus, aut ichor, aut solida materia morbose in parte colligi deprehenduntur, hydropem adesse, proprie affirmari nequit. Errant itaque, qui *tympanitidem* ad hydropes referunt. Quod notauit iam *illustr.* PRAESES in Dissert. *de utilitate paracent. frequent. in ascite*. Confer. etiam SWIETEN l. c. ad §. 1226. Data hac occasione non possum, quin notem, videri mihi *excell.* WRISBERG in not. ad b. ROEDERERI *art. obstetr.* p. 70. n. 65. quodammodo a veritatis tramite recedere, quando *idea*, inquit, *tympanitidis vniuersalis in eo consistit, ut aër effusus sit intra peritonaeum, quae vero aëris resolutio absque putredine et gangraena adesse nequit; hinc veram tympanitidem, excepta illa in intestinis particulari, negabimus*. Quamuis enim minime negem, plerumque sedem tympanitidis in ventriculo et intestinis, praecipue crassis, stabilendam esse, quod probauit, ex aliorum observatis, SWIETEN: at tamen posse quoque aërem in cauo abdominis et peritonaeo; non praegressa gangraena et putredine, contineri, non ratio solum suadet, sed observatio etiam testatur. Vid. SWIETEN l. c. p. 177. de HAEN *Rat. med.* Part. V. pag. 69. b. m. BÜCHNERI Dissert. *de rarissimis et grauissimis tympanitis extra intestina speciebus*. Hal. 1755. Quibus etiam perlectis nemo facile celeberr. DETHARDINGII sententiae calculum adiiciet, qui adfirmat, aërem tympaniticum in intestinis non residere. Vid. EIVS Dissert. *de inflamm. sanguinea, causa tympanitis*. Rostoch. 1759. pag. 19. Quod cerre veritati eo minus respondet, quo magis exploratum est, vel in aliis cauis, ut vtero, vesica, etc. aërem quandoque colligi.

- (d) Hydropis cystici ea est ratio, ut, ob membranas (enatas aut natura, aut morbo), aquam intus contentam arctius cingentes, serum fluctuare nequeat; qui hydrops, si minoris ambitus existit, *hydatis* nominatur. Celeberr. VOGEL fusioem paulo hydropis delineationem dedit in Dissert. b. DESBANS *de hydrope peritonaei saccato, memorabili casu confirmato*. Goett. 1761. pag. 3. Septem nempe eius species constituit. 1. Integumentorum corporis. 2. Cavitatum corporis. 3. viscerum, saccorum aut simpliciter cauorum. 4. viscerum

rum solidorum. 5. inter membranas. 6. in praeternaturali sacco. 7. in vesiculis siue hydatidibus. Nimis tamen prolixa ea mihi diuifio esse videtur.

- (e) Hic locus non est, de hydropis abdominalis speciebus plura differendi. Collectas tamen obseruationes tradiderunt *illustr.* BOEHMER in *Obferuat. anat. rar.* Fasc. II. et Dissert. cit. SWIETEN l. c. HAEN l. c. Part. IV. cap. III. Part. V. cap. II. Part. VI. cap. II. Part. VII. cap. III. Part. XI. cap. IV. VOGEL in Dissert. cit. MONRO von der Wassersucht. HALLER in *element. Physiol.* Innumera alia obseruata, quae in dissertationibus, commercio litterario norimberg. commentar. ~ lipsiensibus etc. exstant, omitto.

§. VI.

*Euincitur possibilitas grauiditatis cum abdom.
bydrope complicatae.*

Cum hydrops a feri vel extrauafatione, vel aucta secretione, vel impedita demum absorptione nascatur, et grauiditas haec omnia nec impediat, nec praesentia tollat: sequitur, posse hydropem cum grauiditate *complicari*, id est sic coniungi, vt vera hydropis causa in grauiditate non sit quaerenda. Neque infrequenter tamen contingit, vt vel ipsa grauiditas hydropem prouocet, quando, comprimendo vasa, resorptionem feri impedit, licet vel ipsa plethora, cacochymia, vitaeque sedentaria, quam, quae vtero gerunt, exercere solent, ad eundem effectum producendum, concurrant (f).

- (f) Turgent sane medicorum scripta exemplis complicatae; cum hydrope abdominis, grauiditatis. Praeter laudatos iam auctores conferri meretur D. LVCAE Dissert. inaugur. *de partu difficili in grauidis asciticis*. Hal. 1763. et *illustr.* PRAESES in Dissert. *de aquis ex vtero grauidarum ac parturientium profluentibus*. Hal. 1769.

§. VII.

Difficultates in diagnosi huius complicationis generatim.

Phaenomena grauiditatis, ostendente id cum physiologia, tum arte obstetricaria, proficiscuntur 1. a retento fluxu mensium ac plethora.

thora. 2. ab extensione et repletione vteri, a foetu, eius annexis et sanguine orta. 3. a sensibilitate aucta totius generis nervosi (g). 4. a consensu vteri cum ventriculo, mammis, cerebro. 5. a compressione et alienato partium situ. 6. a primarum viarum cruditate. 7. a contracta hinc et vita sedentaria cacochymia acris. 8. a motu foetus eiusque pondere. Atqui haec, in quantum apparent, ab ydroke abdominis non tantum absunt, vt ne possint quandoquod eundem accedere. Menses retenti, extensio abdominis, compressio et situs alienatio variarum partium, cruditas primarum viarum, cacochymia acris, cerebri, ventriculi et mammarum diuersi affectus, morbi, ab aucta sensibilitate generis nervosi oriundi, non infrequenter in hydropicis obseruantur, siue nunc effectus illius aut eius causa fuerint, siue accidentia tantum. Praeterea notandum, posse hydropicum statum quasdam grauiditatis condiciones sic mutare, medicum cautum, licet deficient, grauiditatis ideo praesentiam negare non deceat. Mammarum huc maxime turgescencia aliaeque ipsis, a grauiditate illatae, mutationes spectant. Quando enim hydropica deficere obseruantur: haec ipsa tamen grauida esse potest, cum vel ipse hydrops impedire queat, quo minus commemorata in mammis phaenomena conspiciantur. Denique praedictae inque limine paragraphi allatae, mutationes, quas inducit grauiditas, non adeo arcte grauiditati alligatae sunt, vt ne possint quaedam quandoque abesse, praesente licet grauiditate. Quapropter fiet, vt medicus non incautus, licet earum quasdam quandoque deesse in hydropica obseruet, grauiditatem tamen nondum excludat. Ne vero in his generalioribus male acquiescere videar: paullo exactius quaestionem, §. IV motam, considerabimus. Patebit exinde, dari omnino casus, vbi ancipitem, in determinanda hac complicatione, haerere medicum oportet.

(g) GAVBIUS. Omnino eiusmodi morbi grauidis sunt sollemnes, qui ab aucta sensibilitate repeti debent.

§. VIII.

Signa medica unde petantur?

Si medicum oporteat, quaestionem: numne in hydropica grauiditas praesens sit? dirimere: res quasdam in sensus incurrentes, quarum tam praesentia, quam definita conditio iudicium medici dirigit, i. e. *signa* obseruare debet. Signorum autem medicorum triplex fons est. Et *primo* quidem status quandoque, quem cognoscere auemus, sensibus ipsis usurpari potest. Exanthema, solutionis continui in cute, tumores, pallor, rubor, aliaque similia exemplo esse possunt. *Deinde* causae sensibiles signa sunt medica. Quando enim a praesentia causarum colligi ad praesentiam effectuum potest: sequitur, causas quorundam statuum corporis humani sensibiles signa eorundem esse. Sic si nouerim, quemdam refrigerium corporis admisisse, de acredine sanguinis subtili nullus dubitabo. *Tandem* effectus sensibiles signis medicis prae reliquis adnumerantur. Enim vero effectus isti, quos obseruamus, causam sibi vindicant, inferendis illis parem; colligentes ergo, ex illorum praesentia, ad huius existentiam, conditionem, corpori inexistentem, dignoscimus. Fit inde, ut quoduis symptoma morbi signum a medicis habeatur. Quandoque quidem videtur, ac si medici, in eruendis signis occupati, alias etiam conditiones attendant, quas ad praedictas referre non licet. Sic conditiones morales, status aegri externus etc. quandoque considerantur. Nemo vero non, haec omnia rite perpendens, cognoscet facile, omnino ea omnia ad priora reduci posse, cum inde modo causae, modo effectus, modo etiam definita et vera eorundem natura deducatur. Quae ergo cum ita sint, quaeritur: annon, ex apertis his fontibus, sufficientia complicatae, cum hydrope abdominis, grauiditatis signa deriuari queant?

§. IX.

Grauiditas, in se ipsa spectata, cognosci non potest.

Grauiditatem primo ipsam, inque se spectatam, sensibus usurpare non possumus. Quando enim foetum, utero inclusum, ponit; quando

quando eundem, et aqua et membranis circumdatum, sibi vindicat: sequitur, non posse grauiditatem immediate sensus incurrere. Nonne vero *tactu* saltim cognosci potest? de reliquis enim organis sensoriiis id facile concedes. Grauiditas tactu exploratur 1. si status ostii vteri eo designetur. Verum is status effectus demum est grauiditatis. 2. Si dura, globosa, atque super osse pubis haerens resistentia percipiatur (*b*). At inde colligimus tantum ad foetus praesentiam, hanc ipsam non percipimus, sed nixum solum ab eo, aquis et membranis, foetum cum aquis cingentibus, oriundum. 3. Si demum, post effluxum aquarum, foetus ipse vaginam ingrediatur, aut prodire incipiat. Quo vero in casu grauiditas desinit adesse, cum eiusmodi femina non grauida, sed parturiens dicatur. Recte itaque affirmauimus, grauiditatem, in se spectatam, seu foetus in utero praesentiam, immediate cognosci non posse.

(*b*) ROEDERER l. c. §. 150.

§. X.

Intellectus causarum grauiditatis signum est dubium et fallax.

Neque causae grauiditatis, quantum eas cognoscere datur, multum nos, in definienda ista complicatione, iuuant. Quodsi quidem proximam grauiditatis causam in hydropica adfuisse, dignosci posset: de grauiditatis omnino praesentia dubitare absolum foret, cum, praesente causa proxima, effectus quoque certo certius praesto sit. Verum enim vero ista causa sensibus nostris et medica cognitione longe existit superior. Ponit enim ouuli, latitantis in matris ovario, tantam, a proiecto maris semine, irritationem, ut inde vasa illius euolui incipiant et increfcere. Quis nunc adeo sagax est et intelligens, ut, nouisse se in femina hydropica, omnes caeterum nocturnas amoris blanditias eloquente, eam adfuisse causam, fumere sibi queat? Non fugit equidem me, fuisse quosdam, qui, ex quodam voluptatis sensu et spastica quadam partium tensione, ovariorum

rum maxime et tubarum loca afficiente, similibusque phaenomenis, foecundum esse coitum peractum, concludunt. At notarunt iam alii (i), eiusmodi signa fallacia esse et incerta. In remotis ergo grauiditatis causis acquiescendum erit. Quando autem ex his grauiditas definienda venit: tria perpendi debent. (1) An coitus peractus sit? (2) an etiam ea ratione peractus, ut potuerit hinc grauiditas oriri? (3) an, qui eum celebrarunt, conditionibus gaudeant his, quas ponit foecunditas? idque ipsum non solum generatim, ex natura subiectorum, determinare nos oportet, verum quam maxime etiam quoad tempus, in quod coitus incidit. Atqui haec omnia eius sunt indolis, ut partim negentur, partim obliuioni dentur, partim etiam a medico numquam accurate determinari queant. Quare grauiditatis diagnosi non omnino ab eius causis repetenda, licet fatendum, defectum quandoque grauiditatis ex allatis momentis, si cognoscantur, haud difficulter deduci, ut si quae vetula fuerit.

(i) ROEDERER l. c. §. 136. 138.

§. XI.

An phaenomena grauiditatis certa dent signa?

Restant phaenomena grauiditatis (k). Monui iam (§. VII.), illa, si generatim spectentur, haud sufficere. Quando celeberr. VOGEL signa diagnostica saccati peritonaei hydropis tradit, differentiae quoque eius a grauiditate meminit; at nulla exhibet signa, per quae istiusmodi status distingui a se inuicem possent, haec tantum addens: *sub quibus circumstantiis certe morbus initio quam maxime occultus est, et non nisi enixo foetu, si quis subfuerit, aut suspecti partus termino superato cognosci potest* (l). Quanto ergo difficilius complicatio grauiditatis, cum eiusmodi hydrope, cognoscetur! Cum autem ROEDERERVS dixerit (m): *quando hydrops*
C
cum

cum grauiditate coniungitur, difficillime, nisi orificium vteri exploretur, grauiditas dignoscitur: de certitudine, aut incertitudine huius explorationis verba facienda sunt, atque, de motu foetus aliisque signis, pauca quaedam subiungenda.

(k) Collegit haec ROEDERER l. c. cap. VII.

(l) l. c. pag. 23. §. VI.

(m) l. c. §. 151.

§. XII.

Mutationes ostii vteri in grauidis commemorantur.

Feminae, oestro venereo percitae, vterus, *diductis ostii sui labiis*, maris admissi semen recipit; quo vero facto, id ipsum ostium clauditur, et in virgineum, vt sic loquar, statum redit, si modo a copiosiore recedas muco, rimam illius obducente (n). Post aliquot, a facta impraegnatione, septimanas paulo profundius orificium vteri offertur, pergitque dein magis magisque *in vaginam descendere* (o). Elapsis autem tribus circiter, a conceptione, mensibus *in altum*, ab adscendente vtero, *abripitur* iterum, vt id, grauiditate ad finem vergente, vix digito tangente assequamur; simul vero post tertium mensem, *mollius fit, crassius, spongiosius* (p). Versus sextum demum mensem *diduci eius labia* incipiunt (q). Reliquas mutationes consulo omitto, cum eas enarrare e re nostra non fit.

(n) ROEDERER l. c. WRISBERG l. c. n. 21. p. 22.

(o) IDEM l. c. §. 56.

(p) IDEM l. c. §. 57. 58. 59.

(q) IDEM l. c. §. 59. Merentur quoque, quod has spectat mutationes, conferri ROEDERERI *Icones vteri humani obseruat. illustrat.* Goetting. 1759. et illustr. BOEHMERI *Obseruat. anat. rar. passim.*

§. XIII.

Certitudo signorum inde desumptorum indagatur.

Quae ostii vteri conditiones, cum sint grauiditatis effectus, atque, exploratione eius facta, digito tangenti offerantur: *tactus* ideo, in dignoscenda grauiditate, dilaudatur quam maxime. Vt iam pateat, quid sit de illarum, in quantum signa grauiditatis habentur, certitudine iudicandum: haec mihi quidem videntur notanda. (1) Cum mutationes istae (§. antec.) debeantur extensioni vteri, ponderi corporis cuiusdam, ibi haerentis, et congesto sanguini: sequitur, fieri omnino posse, vt vterus, morbo affectus, easdem quandoque mutationes patiatur, nec posse ideo tactum *absolute* certum grauiditatis signum dici. Quando vero (2) perpenditur, foetus incrementum certis esse et definitis legibus adstrictum, quae minus cadunt in corpora morbosa, vtero inhaerentia: inde colligitur, non posse istas mutationes, a morbo productas, eo, quo in grauidis, *tempore* obseruari, esse itaque, *temporis* simul habita ratione, certissima grauiditatis aut praesentis aut deficientis signa. Quod autem non impedit, quo minus asseramus (3) easdem conditiones posse, in complicata cum hydrope abdominis grauiditate, fallere. Quando enim notum est, hydropem abdominis foetus incrementum plus minus impedire posse: tempora istarum mutationum peruertere possunt, quo fiet, vt illa, quam diximus, certitudo euanescat (r). Quodsi vero (4) eae ipsae in hydropica definitis suis temporibus incidant: recte grauida simul haberi debet (s).

(r) Quid? quod fieri potest, vt hydrops abdominis vel situm vel alias conditiones ostii vteri mutet. Quandoque explorationem plane impedire potest.

(s) Ex dictis ergo difficultas huius rei intelligitur. Exploratio praeterea paulo, quam par est, rarius conceditur, maxime vero, si per

omnia suspectae grauiditatis tempora, repeti debet; quod in ea, quam proposui, complicatione, absolute erit necessarium, quando explorationi ea fides est habenda, quae certitudinem parit, idque eo magis, quo certius est, quod quaedam conditionum, in ostio vteri obuiarum, dubia tantum sint grauiditatis signa, qua de re vid. WRISBERG in not. ad ll. cc.

§. XIV.

Perceptio foetus, tactu facta.

Ad certiora grauiditatis signa referri etiam solet *foetus, per ostium vteri, siue substantiam colli vterini, tactu facta apperceptio* (t). Quando vero tunc, ex definita resistentiae cuiusdam conditione (u), ad foetus nos praesentiam colligere oportet; quando hanc ipsam morbosae vteri conditiones imitari possunt (v): sequitur, id signum, si in se spectetur, non omni exceptione esse maius. Quare et hic cum *tempus*, tum *signa*, §. antec. considerata, in censum veniunt, si de praesumta grauiditate certus esse velis. Cum vero hydrops et incrementum foetus impedire queat, et explorationem hanc, cuius mentionem feci, impossibilem reddere: intelligitur, ex defectu huius signi nondum colligi posse, grauiditatem cum hydrope coniunctam non esse, licet eius praesentia, concurrentibus signis, §. antec. allatis, grauiditatem omnino designet.

(t) Illustr. PRAESES in *Observat. anat. rarior.* fasc. I. pag. L. §. XLIV. ROEDERER l. c. §. 150.

(u) ROEDERER l. c.

(v) Quamuis enim ROEDERER l. c. affirmet: *Sicubi alius tumor abdomen eleuat, alio loco is deprehenditur, vel et totam abdominis regionem aequalis et perpetuus quidam tumor occupat*: attamen non video, quid impediatur, quo minus scirrhus, steatoma etc. vteri similia, ac grauiditati insunt, phaenomena producant.

§. XV.

Phaenomena alia.

Sensus *mouentis* sese in vtero *foetus*, non infimum quidem, signa inter grauiditatis, locum occupat; in complicata autem, cum hydrope abdominis, grauiditate, *aut* supprimi potest, quod vel is docet, quem in superioribus commemoravi, casus, *aut* sic mutari, vt medicus non satis de grauiditate certus esse queat. Lau-
danda quidem videtur *encheiresis*, ad motum istum percipiendum, quam descripsit *excell. WRISBERG* (w). Verum enim vero, ob distentum ab hydrope abdomen, fallere potest, nec adeo facile, in cognoscenda complicata, cum hydrope abdominis, grauiditate, applicationem admittit. Quando *IDEM* ex diuerso, inquit, *caloris gradu*, non sine omni probabilitate genarum ope, *hydropicum tumorem a grauido vtero distinguere potui* (x): id ipsum signum excellens esse arbitror, in definienda grauiditatis, ab hydropico tumore, differentia, licet sint omnino, quae quidquam eius laudi et certitudini detrahere possint. Quis autem non videt, id, in commemorata complicatione, vtilitate destitui? *Mammas turgentes*, tumorem abdominis definitum (y), defectum fluxus mensium aliaque mitto, cum eorum omnium ratio ex his iam intelligi queat, quae §. VII. dicta sunt.

(w) l. c. pag. 69. n. 63. *Felici non nunquam successu in determinanda vel praesente vel absente grauiditate alia vsus sum encheiresi. Genas nempe et totam faciem nudo abdomini applicui; cum enim exquisitius tunc sentirem, faciliiori opera, minimas embryonis resistentias motumque diiudicare poteram.*

(x) l. m. c.

(y) Quandoque hydrops eodem modo, ac grauiditas, abdomen extendit. Cuius casum memorat D. LVCAE l. c. Praeterea complicatio dicta tumoris, a grauiditate orti, condiciones peruertit aut peruertere potest.

§. XVI.

Confectaria quoad diagnofin huius complicationis.

Quodfi nunc praedicta conferantur cum his, quae alias nota funt: haec credo, quoad diagnofin complicatae, cum hydrope abdominis, grauiditatis affirmari poffunt.

- (1) Si quaeratur: annon detur eius fignum, quod omni tempore, quod omni in cafu certitudinem pariat? id negamus.
 - (2) Ante tertium grauiditatis mensem numquam de complicata grauiditate, in hydropicis femellis, certi effe poffumus (§. II.).
 - (3) Fieri poteft, vt, praefente licet grauiditate, exploratio foetus abfentiam potius indicet (§. XIII. XIV.).
 - (4) Quo in cafu (n. 3.) reliqua figna grauiditatis, minus alias firma, nos attendere oportet, hincque, minori maioriue certitudine, ad praefentiam aut abfentiam grauiditatis colligere (z).
 - (5) Poteft interea exploratio, tactu perficienda, non infrequenter nos, de praefentia grauiditatis, certos reddere (§. XIII. XIV.) (aa).
- (z) Quando hydropicae plurium iam funt liberorum matres: non abfolum erit, ftatum nunc praefentem eiusque phaenomena cum his comparare, quae alias, fi grauidae factae fuerint, paffae funt. Appetitus et auerfationes lucem hic quandoque affundere poffunt.
- (aa) Quae huc vsque de grauiditate dicta funt, ea refpiciunt naturalem. De conceptione ouaria, tubaria deque grauiditate abdominali, vtpote cafibus rarioribus, differere nolui. Conferri caeterum de his meretur illuſtr. BOEHMER l. c.

§. XVII.

Signa huius complicationis prognostica.

Prognofis commemoratae complicationis, tam quoad foetum, quam quoad grauidam definiri poteft, Ille quidem faniffimus quandoque

doque prodit, adque vitam conseruandam aptus esse inuenitur (*bb*); non raro tamen damna exinde capit, cum eius incrementum, aut ob matris imbecillitatem, aut pressionem vteri, sui ipsius, funis, ab aqua factam, impediatur, hinc aut debilis eliminetur, aut praemature partu excludatur. Quod *gravidam* vero spectat: hinc possunt non minora ipsi damna accidere, abortus, partus difficilis, incrementum hydropis, febris lentescens faciliior, suppressio fluxus lochiorum, citaque sanguinis, tunc in vtero stagnantis, corruptio. Quandoque tamen, satis etiam facile hunc statum ferunt, cuius rei ratio a locis et magnitudine hydropis repeti debet (*cc*).

(*bb*) SWIETEN. LVCAE II. CC.

(*cc*) SWIETEN l. c. plura eius rei exempla collegit.

§. XVIII.

Practicae regulae.

Consequuntur ex his practicae, quae dicuntur, regulae, in ista complicatione obseruandae. Medentem scilicet oportet tam *foetum*, quam *matrem* respicere: *Foetus* duo sibi vindicat momenta. Namque *primo* eius incrementum promouendum, *dein* vero abortus praecauendus est (§. antec.). Vt incrementum promoueat: haec peragi debent generatim. (1) Mater repleatur nutrientibus et refocilletur roborantibus, apte interpositis. (2) Si defectus rubri sanguinis in matre obseruetur, cum ferosae portiois abundantia: cautius in administranda et rependa venae sectione versetur medicus. (3) motus corporis moderatus permittatur, commendetur. (4) pressio vteri, foetus etc. ab aquis facta, minuatur lenissimarum diureticorum et laxantium usu, maxime vero apte instituta paracenthesi, si ea opus fuerit, et hydrops eam permittat. Atque haec ipsa remedia, si quae alia,

alia, praecauendo etiam abortui, ob hydropem abdominis metuendo, paria erunt. Quandoque tamen addi debent ea, quae nociuum stimulum, vtero applicatum, leniunt, quando scilicet tussis, dolores, motus febriles etc. occurrunt. Validiora contra ea hydragoga, vterum sollicitantia, motus febriles viriumque et humorum defectum inferentia, vitanda veniunt quam maxime (*dd*). Quibus etiam auxiliis medemur, quantum possumus, malis, quae *gravidam* proximius respiciunt (§. antec.). Enixo foetu de promouendo fluxu lochiorum, praecauendaque tam inflammatione vteri, quam putredine sanguinis stagnantis sollicitos nos esse oportet, quod remediis balsamicis, antiphlogisticis et antisepticis fiet. Superstes denique hydrops adaequatam sibi medelam vindicat. Quae vero cum multifaria esse debeat, eaque etiam sit ab instituto nostro aliena, scripto huic academico finem impono.

(*dd*) Se infonem quondam abortum horum vsu excitasse, commemorat SWIETEN l. c. cap. de *gravid. morb.*

